



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1862

CXXV. Das Kloster Diesdorf bekundet, daß mehrere Conventuallinnen zur
Stiftung ihrer Gedächtnißfeiern Renten aus Mellin gekauft haben, am 24.
Juni 1360.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55716)

CXXIV. Das Kloster Diesdorf bekundet, daß seine Conventualin Ermgard von Lüneburg im Auftrage von Ermgard Zens von Knefbeck eine Rente in dem Dorfe Mellin gekauft habe, am 24. Juni 1360.

In nomine domini amen. Pietas affectuosa nullatenus erit obliuiosa, Quare nouerint christi fideles vniuersi, Quod Ermeghardis de Luneborch exnunc president Officio Karitatis, ex commisso emit in tota villa Mellyn vnum talentum vsualis monete pro XIII marcis denariorum cum denariis Ermeghardis yens de Knefbeck bone memorie in memoriam eius perpetuam ad percipiendum annis singulis ab amministratrice Officii Caritatis in festo Natiuitatis marie, quo tempore predictae ville census debet persolui, et tollendum; Ita tamen, quecunque fuerit pro tempore dicti Officii procuratrix, Huiusmodi memoriam die uel festo beate marie Magdalene perpetuam quolibet anno procurabit peragendam. In cuius testimonium Nos Johannes de Buk prepositus et Elyzabeth de Marnholte priorissa, cum consensu nostri Conuentus concorditer presentem litteram sigillis nostris dedimus communitam. Anno domini M^o. CCC^o. sexagesimo, die beati Johannis baptiste Natiuitatis.

CXXV. Das Kloster Diesdorf bekundet, daß mehrere Conventualinnen zur Stiftung ihrer Gedächtnißfeiern Renten aus Mellin gekauft haben, am 24. Juni 1360.

Nos Johannes de Buk Prepositus, Elyzabeth Priorissa Totusque Conuentus sanctimonialium in Dyfstorpe vniuersis christi fidelibus recognoscimus per presentes, Quod in christo nobis dilecte Gherburgis, Margareta, sorores cognomine Hud, alheydis de Salina, wobbeke Crusen, Mechtildis Rolenus, Bertradis et Alheydis Stop emerunt in tota villa Mellyn quatuor talentorum redditus pro Septuaginta quatuor marcis denariorum persolutis, percipiendos et exsoluendos in festo Natiuitatis Marie in hunc modum, Quod vnum talentum ex hiis quatuor ab instanti cedere debet in memoriam anniuersalem Wobbeken de Salina in festo Mauricii beati martiris perpetuam, Ita vt distribuatur cuilibet sacerdoti ex nostris Cappellanis solidus et scolaribus cuilibet sex denarii. Hanc distributionem ministrabit iugiter procuratrix Officii omnium animarum. Preterea deo sic disponente, cum mortue fuerint Gherburgis, margareta et alheydis de salina vnum ex aliis tribus talentis commanebit supradicte memorie perpetue suarum et omnium amicorum pro salute. Proinde Cappellani et scolares festo prenotato festiue seruabunt vigiliis et demane in missis memoriam pro defunctis; Residue vero quatuor persone superuientel debebunt vti aliorum duorum talentorum redditibus suis temporibus, et si vna ex eis obierit uel due uel tres, vltima superuientel integraliter percipiet et habebit hec duo talenta predicta velud omnes. Hiis omnibus defunctis spectabunt ad Officium omnium animarum pro vtilitate Claustris et Conuentus, prout amministratrix dicti Officii disposuerit faciendo. In testimonium huius facti, vt fidelius et diligentius seruetur, huic littere Sigillum prepositure et Conuentus duximus apponendum. Anno domini M^o. CCC^o. Sexagesimo, In die beati Johannis Natiuitatis.